

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

7. Progenies viperarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

## 7. Progenies Vipercrum.

**S**ECTAS hypocriticas & populi seducto-  
res acerrimè taxat: quos ita vocat, vel quia  
sicut viperæ de vita sua periclitantur nisi ad  
aquam protinus currant, vbi veneno suo ali-  
quem leserint, sic isti de eterna salute pericli-  
tentur nisi post noxia venena & pessimè doctri-  
ne fermenta in populum effusa ac immixta, ad  
baptismum Ioannis non accurrerent; vel quia si-  
cuit vipers pellem habet variegatam & eleganter  
pictam, intus vero tota venenata est, sic isti Pha-  
risæi & Sadducei foris erant parientes dealbati,  
sed intus quasi sepulchra fœtida, & varijs sceleri-  
bus pleni, quales seductores heretici esse solent:  
vel denique quia parricidium in illis notat, quod  
omnes iustos persequerentur; quod aperte illis  
Christus postea obiecit, sicuti vipers per utrius-  
que parentis necem frequenter in lucem prodit. Cap. 2. 3. infrā.

Mas enim à femella per coitum occiditur, dum  
hec illius caput in os eius insertum abrodit, par-  
uuli autem quum nascuntur, matris ventrem ali-  
quando perrumpunt, eamque occidunt. Tales  
sunt omnes heretici & seductores, qui Ecclesiam  
matrem lacerant ut inde exeat, qui pios in Ec-  
clesia acerrimè persequuntur, qui certissimè per-  
eunt nisi ad aquam pœnitentiæ quam Ioannes  
prædicauit, tempestiuè se recipiant. Progenies  
quoque viperarum ab inuidiæ sibilis (qua maxi-  
mè laborabant Pharisæi) vocari poterant, ut cen-  
set Augustinus: vel etiam quia pessimorum pa- Serm. 1. 2.  
rentum pessimi essent filij, inuidia & calliditate Dom. 3.  
pleni, ut exponit Gregorius homilia 20. in Euan- Quadragesima.  
gelia, & Hieronymus ad Isa. cap. 30. & ad Matth.  
cap. 23.